



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Plurimos, per infamiam, & quidem etia[m] sanctissimos ad gloria[m]  
duci.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

renti illum restitueret. Qua sacci ponderositatem sentiens, marito respondit; Non potest tanti ponderis esse panis, puto quod ex nimia simplicitate illum impleuerit lapidibus. Apertoq; sacco, cum thuribulum in eo reperisset, & subito clamore vicinis inuentum prodidisset, accurrit populus, accurrit tandem & ipse Marcadellus. Requisitus de sacco, cuius esset, mentiri noluit, sed respondit; saccus meus est, sed quod in eo est, vestrum est. Ego thuribulum furatus non sum, non tamen furem prodam. Et recitauit eis per ordinem, qualiter ad se aduenerit, & quid furi promiserit. Dicentibus eis; Lex est Longobardia, ut vel furem prodas, vel furis pœnam subeas; respondit; in manibus vestris sum, quod iustum est, facite de me. Illi sibi prospicere volentes, hominem Ferrariam ducentes, potestati obtulerunt, casum exposuerunt, innocentia eius, ac simplicitati testimonium bonum perhibentes. Quem cum iudex inducere non posset, ut furem publicaret, capituli sententia super eum data, ante fores maioris Ecclesie, tamquam sacrilegus reus, decollatus est; cuius corpus à quibusdam in eodem loco sepultum est. Nocte sequente, cum quadam religiosa matrona ciuitatis ad Ecclesiam, propter matutinarum solemnia irent, venissentq; ad tumulum eius, cantus angelicos illic audierunt, cereos ardenes viderunt, insuper & suauissimi odoris fragrantiam senserunt. Quod cum secunda, & tertia nocte plenius comperissent, qua audierant, vel viderant, sen etiam senserant, Episcopo ciuitatis retulerunt. Qui cum esset vir religiosus, aliquibus secum assumptis, cum nocte quarta esse ita, ut mulieres dixerant, experimento didicisset, super tumulum hominis Dei basilicam fabricari fecit, & fiunt ibi miracula vsq; ad hodiernum diem, ad laudem nominis Christi.

Quid his talibus exemplis vult diuina sapientia aliud, quàm vt in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa 2. Cor. 6. 4. patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, & c? per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam, & c. Nemo desperet, nemo pusillanimis fiat, si oculis humanis despicitur, si suspicionibus petitur, si temeratur iudicijs, si nomen illius vbique diffamatur; si denique morti addicitur innocens; nouit Deus iudicium vniuscuiusque, tamquam meridiem, Psal. 36. 6. & iustitiam, tamquam lumen educere. Sicut enim Christus, qui à Iudæis toties spretus & illusus est, in monte Thabor resplenduit,

S. Hieron.  
c. 30. Olee.

Pfal. 125. 6.

Isa. 5. 6.

Gen. 44. 12.  
Gen. 39. 14.  
Dan. 13. 41.

Matth. 1. 19.

Matth. 27. 32.

instar solis, & alij sancti antè humiliati, quàm exaltati sunt; ita ijs contingit, qui honorem, nomen, famam, amorè hominum, ipsam vitam innocenter amittunt. Humiliantur, ut exalcentur: affliguntur, ne mercedem hinc accipiant; aut ne illecebris inescati, caelestia bona minùs desiderent. *Vites, quae putatae non fuerint à vitatore, ait S. Hieronymus, in flagella frondeq; luxuriant, & humorem, quem debuerunt in vina mutare, vana frondium & foliorum ambitione disperdunt.* Esto ergo lachryment palmites, cum secantur, tantò tamen copiosiore vindemiam proferunt. Sic homines, *euntes ibant, & siebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Metuunt sancti, in prosperitate, nòrunt minantis vocem esse: *Dimittam vineam meam, & non putabitur, nec fodietur.* Talem igitur se se esse puter, qui non putatur. Parua vulnera libenter ferrem, inquis, sed famam sauciari, sed nomen laedi, sed in carcerem mitti, sed occidi, intolerabile est. Vocant me hypocritam, cum oro, Pharisaum, cum eleemosynas largior; avarum, cum frugaliter vivo; furem, cum non solvo, quæ non possum; imputant mihi impuritates, libidines, adulteria; coram magistratu me accusant: damnor, ducor; aeterna mihi posterisque meis nota inuritur. Hæc omnia, si innocens es, scito tibi ad gloriam futura. Sicut colono Voburgensi, sicut Marcadello calumniæ, in honorem cesserunt. Numquid & ille hypocrita vocatus, & iste tamquam fur damnatus fuit? Et, si sacras repetere historias placet, numquid & Benjamin de scypho ablato accusatus est? numquid de adulterio Ioseph? numquid Susanna à senibus coram magistratu, & amicis, & tota civitate, fuit de adulterio mortis rea declarata, atque iam ad supplicium tamquam infamis mœcha abducta? Ast quanto honore reducta, & innocens, casta, heroiceque constans declarata? Numquid & ipsam Dei Matrem prægnantem dimittere voluit Ioseph? Numquid Christus ipse cum iniquis deputatus, & in medio latronum, tamquam homicidarum princeps, in crucem suspensus? quid patibulo magis infame? At quantus nunc Virginitati Mariæ passim deantatur honor? quanti triumphi Christo sunt decreti? Tibi igitur quoque, quisquis innocens es, & pateris more nocentis, Deus honorem restituet, Quod si in hac vita id non facit; facturus est tamen,

tamen, coram toto Mundo, in Iudicio vniuersali; in quo, sicut multi, qui nunc Sanctorum inſar coluntur, tunc reprobandi; ita qui cum ignominia decedunt, cum gloria apparebunt. Tu tantum reuelo Domino viam tuam, & ſpera in eo; & ipſe faciet, & educet quaſi lumen iuſticiam tuam, & iudicium tuum, tamquam meridiem. Omnes martyres, tamquam rei, immò tamquam religionis & deorum extirpatores, infamiſſimis ſuppliciorum generibus affecti ſunt; ſed eos Deus, etiam coram Mundo ita extulit, vt illis nihil glorioſius exiſtat. Per mortis infamiam, tamquam per ſolitudinem; per ſanguinem, tamquam per mare rubrum, ducti ſunt ad vitæ gloriã in terra benediſta recipendam.

Pſal 36. 58

Hæc eos roborant ad patientiam, qui ſine ſua culpa ab hominibus, quaſi rei iudicantur, damnantur, proclamantur. Ad quorum damnationem iniuſtè factam intelligendam, etiam illud magnum pondus addit, quòd neque in illis ſemper vera iudicia ſiant, qui publica authoritate, atque, vt aiunt, ſecundum allegata & probata damnantur. Etsi enim tum magiſtratus iuſticiam non videt, ſed faciat, quod leges iubent; tamen non rarò Mundi Gubernator falſos teſtes ſinit innoxijs calumnias facere; vt tamquam aurum in fornace probentur; atque vbi eorum manifeſta ſit innocentia, homines videant, quantum poſſit in alijs iudicandis re ipſa errari. Neque enim martyres dumtaxat, ob Chriſti religionem, iniquè damnati ſunt ad mortem, ſed plurimi quoque de furtis, de adulterijs, de latrocinijs, de veneficijs atque alijs vitijs grauiffimis falſò accuſati, ob delatorum malitiam, & ſubinde etiam, ob iudicum ignorantiam, proſcripti, aut ſupplicijs ignominioſiſſimis exquiſitiſſimiſq; per ſummam iniuriam, affecti ſunt. Quorum mors poſtea aut ipſis, aut ſanctis, aut Deo fuit glorioſa.

VI.

In antiquiſſima ciuitate, quam S. Dominici Calciatensis vulgus appellat, inquit Lucius Marinæus, gallum vidimus, & gallinam, qui dum vixerunt, cuius coloni fuiſſent ignoramus: poſtea verò cum inſulati fuiſſent, & aſſi, candidiſſimè remixerunt, magnam Dei potentiam referentes. Cuius rei veritas, & ratio ſe ſe habet. Vir quidam probus, & amicus Dei, & vxor eius optima mulier, cum filio eius adoleſcentulo magna probitatis ad S. Iacobum Compoſtellam proficiſcentes in hanc urbem itineris labore deſeſſi ingrediuntur, & quieſcendi gratia reſtiterunt

Lucius Marinæus lib. 5. de rebus Hiſpanæ, cap. vlt.